

6

L. ANDR. RESENDII.

LVSITANI, EPISTOLÆ  
tres carmine.



Duæ ad Lupum Scintillam Iuris  
consultum peris-  
tissimum.



Vna ad Petreium Sanctium poëtam.

*Item Epistola prosa oratione pro colonia  
Pacensi, ad Ioannem Vaseum  
virum doctissimum.*

Permissu & autoritate Reuerendi  
patris fratris Francisci Forerij,  
Olisipone, in officina Ioan-  
nis Blauij Colonienfis,  
Typographi  
Regij.

---

M. D. LXI.



1  
L. ANDR. RESENDI. 1789

L. V. S. I. T. A. N. I. E. P. I. S. T. O. L. A.

1789



Dux ad Lupum Scintillam Iuris  
consilium per  
cistiam.

52

Vna ad Periculum Sanguinis Portant.

Item Epistolae prope oratione pro cubito  
P. accipit ad Iohannem V. et  
vnum delectum.

et Permittit & autoritate Reserendi  
partis status Francisci Forcij  
Ostipone in officina Ioh.  
nis Bianj Colonensis  
Typographi

Regij.

M. D. C. L. X. I.

53

L. ANDR. RESENDIVS.

LVPO SCINTILLÆ

Iuris consulto.

S.



RISCA SVB EXTREMVM

redeunt Lupe festa Decembrem,

Saturno quondam, melius nunc virgine facta,

Atq; Deo in terras se demittente beata.

Quam pote quisq; lareis ornat structūq; focisq;

Huc carōsque suos bonus aduocat, huc & amicos,

Audet & à rigidis animum seducere curis.

Tu quoq; quantum vis vidui solatia lecti

Respuis, & caræ suspiras coniugis vmbra,

Non nihil à solito parcis minuisq; rigore

Sæuaq; clamosi nec te modo iurgia lassant

Diuexantq; fori, nec peruigilare clienti

Cogeris ante iubar qui limina pulsat heoum.

Quin potius lignis, quæ vos puto cocta vocatis,

Incensis, misces sancta cum matre, secundo

Quæ se connubio nunquam est persuasa iugari,

Conloquium, & dapibus quas munditer ipsa parauit

Officiosa soror, mitiq; liquore Lyæi

Otia leta teris: tum te lepidum atque lubentem

Parte facis magna, & blandis conuictibus aptum.

Atq; vbi gnatorum blæsum te cinxerit agmen,

Tu residens medius, quid garriat ille, vel illa,

A 2

Disce

Disceptator eris, discordantūq; pusillas  
Compones liteis, paruisq; quiritibus ingens  
Romule ira dabis. Vel ubi iam ludicra pones  
Imperia, à doctis oblectamenta Camenis  
Docta petes, linguâq; sua cantabis Homerum  
Delicias me teste tuas, Sic ipse beatus  
Intra septa domus, Lupe Saturnalia ducis.  
Gratulor, & veniant posthac felicius opto.  
At mea longe aliter versant modo fata sorores.  
Ludere tormentis solitæ nascentis ab æno,  
Et crucibus gaudere meis. Cœnacula mitto  
Leni fota pyra, mitto pictôsq; tapetas,  
Mitto pennæ, aut censu quæ diuitiore parantur,  
Atque vaporatas tucetis pinguibus offas.  
Sit fortuna mihi minus inuidiosa, minusq;  
Ambitiosa fames. Ne nunc licuisse meorum  
Cum grege non magno mundos suffire penateis?  
Nec nostro libare lari? men' lintre Tagana  
Sub Ioue nunc lente noctem tolerasse meantem?  
Inque breui transtro niueis alsisse pruinis?  
Me modo quum geminam longe Sol respicit vrsam,  
Ægocerosque pigro constrictus ab aere sæuit,  
Explicat argenti necdum sinuamina caudæ,  
Ire redire vias? nec torpida membra tepore  
Possè mouere, nisi mulam exoneraro subinde?  
Et pedes ire parans, nunc per vitreata labascam  
Terga soli, nunc se glaciæ soluente lutescam?

Sic

Sic ereptaui cliuum lapidose superbum  
Ansidiane tuum, sic per sine sole molestos  
Anfractus Tapiæ tuos vergente senecta  
Æger anhelavi, templi dum rite sacerdos  
Iura mei repeto, mihi vi, mihi fraude, malisque  
Artibus interuersa, nefas. Nec plectitur audax  
Illud adhuc facinus. leges & credimus vllas?  
Vlla potestatum maiestas fingitur esse?  
I, pete restitui per vim deiectus, opemq;  
Principis implora, totum augustale libellis  
Conquute supplicibus, defer mandata senatus,  
Ad genua inflatis pratoribus adcide, gnauo  
Sternere causidico, scribis numerare memento,  
Testibus inuigila, ad censuræ munuscula mitte,  
Redde satellitibus loculis sua præmia fufis,  
Acta tibi res est. Heu conclamata nefando.  
Terra latrocinio, heu regni deformis imago.  
Quo mihi iustitiæ legumq; umbratile nomen?  
Quòue magistratus per mille vocabula longo  
Ordine lictorum circum stiparier, inde  
Bissenos fasces, hinc ostentare secureis,  
Si scelera impunita manent? si præside legum  
Conniuente datur noxis audacia maior?  
Si qui in pestiferum caput anquisisse iubetur,  
Innuit ille reo, fuge. si te indagine quæram  
Hac, hac ipse late, memor euasisse periculum  
Non leue, dissimulet quum te vidisse potestas  
Lippa tibi, ingratum non præteritura futurum.

Dic sodes, titulo dic perfectissime praeses,  
Quæ tibi sortito obuenit prouincia, pacto  
Hoc sine pacanda est? itan' expurganda malorum  
Sorde hominum? Rides dudum Lupe verba procellis  
Fundentem aërys, & litora surda vocantem.  
Mi tamen in sancto superat spes vna senatu,  
Præcipue quoniam de re cognoscit Areius  
Integer & flecti per deuia ferreus. Illo  
Iudice non ibit noster spoliator inultus,  
Pœnaque sacrilegum, vel sero, luenda sequetur.  
Cetera si quæras, vt sustentamus, vt istam  
Perferimus brumam, certe connitimur ægrum  
Hinc stabilire animum, ne quo fortuna reflatu  
Arguat asperior mollem, aut sapiente minorem.  
Scilicet hoc nomen, neque dissimulanter, amamus.  
Hinc mœrorem adimunt, & curant corpus amici,  
Dum breuis obtigerit cessatio, dumq; subire  
Pagorum veteri gurgustia subdita culmo  
Causa minus cogit, datur & vitare tabernas  
Cauponum immundas, ad quarum nomina nostrum  
Nauseat ingenium, mensâsque refutat orexis.  
Quæ si conditio mihi sit diuturna, nec vllum  
Præsidium superest in legibus, atque patrono  
Te tali defensa cadat bona causa, quis vrbeis  
Aut hominum cœtus persuaserit esse colendos?  
Præstiterit multo in solas secedere terras,  
Arbutaque, & glandes iterum adfectare caducas,

Silui

Siluiuasq; intèr; feras habitare, nocenteis  
Læsurasque minus. Nam si nulla inde daretur  
Re potiore frui, vel commoditate, sat illud  
Atque operæ sane pretium non vile putarem,  
Quod neque rancidulis hircum ructantis apellæ  
Vocibus ad stomachum bilèmq; mouèrer amaram,  
Nec mihi pygmæi facies inhonesta gigantis  
Conspicienda foret, nec putida verba ferenda  
Vix meliore sono, quam quem cantherius edit  
E pastu abductus, quoties nox roscida cogit  
Non bene confectum per cluneis pedere gramen.

A 4

L. ANDR. RESENDIVS.

LVPO SCINTILLÆ

Iuris consulto.



STLVPE QYVRVITÆ

pigeat minus, & minus cui  
Me pudeat nostri, nondum virtute sepulta.  
Nā licet interitū de morū strage minetur,  
Qui pridem omnino possunt perisse videri,  
Non effœta tamen genitrix natura putanda  
Est adeo, vt partu ceu debilitata frequenti  
Gignere desierit. sed adhuc vestigia quædam  
Mundi interlucent non adspersanda recentis,  
Rara, & apud raros, prædensa vt sæpe tenèbris  
Nocte micant victis pluuijs ex nubibus ignes.  
De reliquis taceo ablati virtutibus orbi.  
Nam neque nunc satyram scribo, neque carmina frustra  
Disperdam, nigro vitia infectantia felle.  
Illud agam potius, quo me gaudere professus  
Ante fui, veteris quoniam simulacra supersunt  
Virtutis, nostro quamuis rarissima seculo.  
Quod prope desertum est, ac pœne recessit ab vsu  
Numen amicitie magnum & venerabile quondam,  
Quam prius infectum est aurum ære, secundaque vena  
Duruitt in ferrum, & similis producta propago,  
Non semel indolui, simul indignatus amicos

Vtilitas



Vtilitate peti, non de virtute parari.  
Hac ne parte queat nostra infamarier etas  
Tu Lupe docte facis, qui quum sint omnia pissim  
Ceco plena dolo, simulataq; fictaque, vulgo  
Nunc huc, nunc illuc, pro re variantia in horas,  
Virtutem ipse colis, priscæq; exempla reducis  
Sedulo amicitie. quod quum in me satque superque  
Experiar, quanto tibi sim deuinctus amore  
Spero equidem in seros manabit fama nepotes  
Qualis in Antoni fueris modo funere malle  
Dicere, si fando non inferiora dolore  
Suppetent mibi verba, vado nec lingua nataret.  
Quuius enim mentem non perculit ille senator  
Interpres legum, quo nec præstantior olim  
Scæuola Serbidius, grauior neque Caius ipse,  
Nec melior clarum cui gens dedit Vlpia nomen,  
Sic necopinato medijs exstinctus in annis?  
Curia quando parem deplet & munus in vrne  
Adleget, aut simili subsellia celsa prementur?  
Quando alium posthac pudibunda modestia ciuem  
Vndique limatis ornabit moribus æque?  
At neque sollicitum quia te ægrotatio amicum  
Pallentemque metu misere versabat, & æger  
Ægroto adfistens connitebare iacentem  
Erigere adloquijs, ideo verique bonique  
Explesti numeros. hæc signa fatemur amoris,  
Sed translaticia, & pariter communia, rebus

B

Alte

Alterius de morte suis metuentibus, vnde  
Emolumenta putant sibi mox peritura. sed illum  
Quod tam sincere donec Lupe vixit amasti,  
Commoda nulla sequens, nec spe fucatus hiante,  
Verum animi ingenua quod libertate colebas,  
Vnanimi vnanimis multum vtebaris, & vna  
Consilia & curas coniungebatis vterque,  
Atque ea terdenos coniunctio creuit in annos,  
Elati feretrum nuper quod ponè sequutus,  
Tu genitor, tu frater eras, tu denique mater,  
Cunctorumque vices peragens, humentia nobis  
Lumina cogebas fletu vberiore madere,  
Et quod maiorem moriens Antonius à te  
Partem animæ secum abstulerit, quod mortuus in te  
Vixit adhuc, viuetq; tibi dum vita manebit,  
Id merito admiror, laus hæc tua magna, tuumq;  
Tempus in omne decus, iucundaque nostra voluptas  
Hinc oritur. valeant grandi celebrata cothurno  
Nomina Pirithous Theseusque. valebit Orestes  
Cum Pylade, & siquos vatum fauor euehit ultra  
Quam par ad superos. Antonius & Lupus inter  
Inlustreis meliore nota scribantur amicos.  
At mihi, qui vobis fueram modo tertius, & quem  
Sponte tua ambisti, meritòne secus ne, videbis  
Ipse, sed ambisti, magnum pietatis honestæ  
Adcreuisse puta cumulum, quem forte negabam  
Surgere posse magis. quare pergamus, & istum

Inuitis

*Inuitis fatis virtuti habeamus honorem.*  
*De me hoc polliceor, tecum mihi viuere dulce,*  
*Tecum dulce mori. sin seiungemur vtrinq;*  
*Ac te vasta foro moles retinebit Olysis,*  
*Scallabin aut potius rupta meditare catena,*  
*Mèque Bonæ Vallis mea villula, fonsque perennis*  
*Suscipient reducem, quo vel mihi bina remoto*  
*Millia ab vrbe mea liceat prouoluere chartas*  
*Interpellantum sine turba, aut condere versus,*  
*Seu vitire, noua siue infitione domare*  
*Arbustum infelix ad non sua poma ferenda.*  
*Denique quos tractus, ad quas procul ibimus vrbeis,*  
*Ipsè ferèrè simul mecum, simul ipse manebo*  
*Quo fueris tu cumque loci. non clauditur vno*  
*Angustata loco dilectio vera, per ampla*  
*Interualla, animi concordia iungit amantes.*



I MIHI TAM VARIO FLUCTET

*mens deuia sensu,  
Vt nihil, aut multum, vel fata, vel astra  
vererer,*

*Non erat in partem valida ratione labantem.*

*Alterutram firmasse parum, pectusue sub vna*

*Cogere lege vagum, siue hæc, siue illa probaret.*

*Nunc, tua musa potens, tua me facundia Petrei*

*Non modo ad alterutrum, quod niteris ipse, reducit,*

*Verum etiam per vtrumque rapit, quo dissita longe,*

*Imo infesta sibi, secum pugnantia, credam.*

*Nam tua quum stupidus demirror carmina, melle*

*Inlita Museo, fatum quibus adseris, omni*

*Contempta id ratione probo, tribuóque malignis*

*Sideribus patimur quecumq; incommoda vitæ.*

*Quum rursum expendo tua carmina, queq; malorum*

*Exempla adduxti, qui nunc plerisque videntur*

*Viuere felices, certe vel honoribus aucti,*

*Vel magnas emersi ad opes de sordibus imis,*

*Socraticum moueant stomachum, bilémque ciebunt,*

*Hæc ego quum expendo, nec fata, nec astra putare*

*Esse aliquid, nec posse, libet. quin omnia casu*

*Fortuitòq; geri, nisi religione mouerem,*

Pæne

Pœne mihi mendax Epicuri suaserit error.  
Siue etenim connexus ineuitabilis inter  
Se se causarum, fatum est, cui prouida summi  
Mens rectoris adest, dignis contingere digna  
Debuerant. siue est astrorum adfectio tantum,  
Inter utrosque nihil certe differre decebat,  
Vt quemque exciperent horis genitalibus astra.  
Nam que sit tam leua boni mens numinis, aut que  
Factio tam peruersa poli, vt coniuret in vnos  
Quos apud omne poli sine numine degitur æuum?  
Quare ego nêue Iouem, nêue astra expertia culpæ  
Arguerim, adducor potius fatum omne negare,  
Queque sub ætheri contingunt fornice templi  
Improuisa geri, saltem neglecta, putare.  
Sed quia nos alio maiestas numinis vrget,  
Nil sane fieri quod non prouiderit ante,  
Quam fieretque prius longe, mens dia, fatemur.  
Et rerum seriem primo quas nexuit æuo  
Non ego sollicitus Petrei vexabo, nec illum  
Quur ditet, me non ditet, iam querere pergam.  
Quamquam perfacile est, nec enim de vate petendum  
Tiresia, nouisse mali quibus artibus vsi  
Rem faciant, ecqueis sese rationibus aule  
Insinuent, id si dubites, sic adcipe. mēque  
Tiresiam esse puta. caue ais arcana mouere.  
Nam nec apertum hominem, nec apertos tristia mores  
Tempora nostra probant. quibus, vt nil durius addam,

Tetra per omne genus regnat simulatio. quamvis  
Nocte olidum vexes scortum, totumque lupanar  
Incestes, si luce deos & templa fatiges,  
Atria per, rigida si de virtute loquaris,  
Pallia demittas, tristemque a fronte cucullum,  
Quur erit Hippolytus te castior? omne salacis  
Abstulerit caude vitium sanctissima lingua.  
Quivis que arbitrio quam si moderere, licebit  
Ipse tuo viuas tibi, quem liberrima bilis  
Moribus infensum fictis facit esse, periculum  
Forte creet commota grauis, nec naribus apta,  
Nec stomachi Camarina tui. bene consulis hercle,  
Et recte. idq; sat est, quod plane intelligis ipse  
Quos cassos virtute vides opulescere, nullis  
Artibus ingenuis, nulla probitate, nec vllis  
Adiufos meritis, verum ratione pudenda  
Peruenisse ad opes ut si tibi Iupiter aiat,  
Adcipe tantundem, decies imo adcipe plura,  
Et fac quod faciunt, iubeas procul ire cinedum  
In coruòsque crucemq; Iouem, faciemque monentis  
Consputes, medio protenso turpiter vngue.  
Ad fatum redeo. & fatum tibi credere Petrei  
Possè aliquid, multumq; libet. nec quem astra maligna  
Nascentem oppressere, negem plerumque solere  
Moribus, ingenio, facie, re, denique fama  
Læua adflitari, tamen, vt nonnulla voluntas  
Libera vel mutet, vigilans vel corrigat. vnum  
Scire ex te cupio, quur tu mea fata sinistra

Dixeris. anne ideo quod non sum magnus in aula,  
Sed spretus iaceo? cursum fortasse peregit  
Nostra suum fortuna, duum post funera regum,  
Ignea quos virtus caelestibus addidit, ipsis  
Post merita, ante diem nobis. quibus otia raptis  
Emeritus non grata tero, donandus eisdem  
Nempe superstibus rude iam meliore. tametsi  
Spem frustratam animo tam non toleramus iniquo,  
Ut cupiamus adhuc iterum pressare superbo  
Libera colla iugo. praesertim quum neque desit  
Qualiscumque mihi victus quaesitus honeste,  
Nec Pollentino de vellere penula. namque  
Nil opus est Canusina mihi textrina laboret.  
Tu tamen, atque alij similes tibi, fertis acerbe  
In re quod tenui modo sim, despectus. ab aula,  
In qua prima terant umbrae subsellia viles.  
Dic quaeso, mala fata mea haec tu reris, an aula  
Pessima fata, malo sese dedentis abusu  
Ludibri oque premi? dicam fortasse superbe,  
Sed tam submisisse nullo me tempore gessi,  
Tam sensi abiecte de me, quim plura putarem  
Regibus auratis bona me prestare fideli  
Possse ministerio, mihi quam largirier ipsos  
Pro libertate crepta, post leuia canis  
Tempora deciduis, adcersit anque senectam.  
Nam quid praeter opes, variæque iocantis inanem  
Fortuna strepitum tribuent? quo nulla voluptas

Sit vitæ sincera mea, titubantis ad omnem  
Inuidia motum, suspectaque dona timentis.  
Quæ contra me posse illis dare glorier, audiam  
Aut ego consilij fidei, operæque iuuabo  
Nutantem Priamum, facienda, cauenda, monebo,  
Aut Anchisiada Troia comes ibo ruente,  
Scurrantum insidias retegam, moderabor Iulij  
Ingenium tenerum, tenerum os, linguamque polibo.  
Denique heris præstabo meis, quod præstitit olim  
Sive Maro Augusto, seu libertinus amico  
Tusco equiti Flaccus. confer nunc vtraque, mæque  
Fatali opprobrio natum melioribus astris  
Exime, quantum vis durum vocet aula poetam.  
An me Rufinum pinguem, elumbemque Batillum  
Esse Petrei malles, quorum stomacharis & ægro  
Fers animo, passim relegi, passimque probari  
Carmina, verporum grauius foetentia merdis?  
Indignere minus, si mente reuolueris æqua  
Pana cicuticinem calamis stridentibus olim  
Deliaca latum ante lyra, non iudice Tmolo,  
Sed stolidi sermone Mide, quem barbara canna  
Delinijt magis artificij quam pollice nerui  
Molliter increpiti, neruosque mouentia plectra.  
Si mea despiciunt docti, si carmina pango  
Quæ sua non mallent Rufinus, & ipse Batillus,  
Talia si mea sunt reliqua, vt conlata, pudore  
Auctorem adficiant, genesi me crede grauari.



Sed non obscurum est, per quos, quibus undique nobis  
Molibus oppositis via praecludatur ad aulam, non minus  
Quamque palatini, ne cognoscamur, aperte, & muris  
Vulturij satagant, religata hinc inde phalange, ut quid  
Quumque opere id tanto caueant, quid aperte? vllis  
Testibus vtendum potioribus esse putabis?  
Adspice nunc contra, quam sim felicibus ortus, non  
Sideribus, quum me tenuis fortuna parentum, non  
Et mediocre genus, nec paupertate notandum,  
Sed neque diuitijs tumidum, seceuerit imis,  
Non tamen equarit supremis, more recepto,  
Multi me reges, multi nouere dynaste,  
Multorum conuina fui, dextrasque tremendas  
Non trepidante manu tetigi, submissaque sortis  
Culmina celsa humili stipui, adpellatus amice  
Quin neque tam nostri est nos auersata voluntas  
Caesaris, vt non sepe, animo rogitare benigno  
Ex ijs qui norunt, soleat, secessibus istis  
Ecquid agam? vt viuam? chartis nam plurima mandem  
Expende vltterius, liceat mihi vera profari,  
Numquis Lasiadum scriptis sit notior alter,  
Sive per Italiam, seu qua Germania vastos  
Funditur in populos, triplici vel Gallia regno,  
Atque vt ne patrijs excedam a finibus exsul,  
Vt Duriòque, Fagoque meo contactus, Aliaque  
Esse velim, de quo vel opinio laetis errabit,  
Longius it nomen? celebris, vel famam, quid  
C Procu

Procurata parum, nullamque extorta per artem?  
Quibus amicitiam plures cupiunt ue, petunt ue,  
Doctorum è numero? sed ne ambitiosius, atque  
Amplius extollar, mea quam natura, meaque  
Hactenus exacta vitæ modus exigit, illud  
Prætereâque nihil dicam. Quod diligis ipse,  
Quod laudas, nec habes post ditia dona potentum  
Hæc licet à duro tibi carmina missa poeta,  
Et tecum sentit frater quod Sanctius una,  
Albius una etiam, vir quo non natus Ibera  
In terra melior, nec amari dignior alter,  
Id facio tanti, magnorum ut fata nec unquam  
Prætulerim regum, nec sidera diuitiorum  
Exæquem nostris, pariter nisi nostra coirent.  
Quod si decidenda mihi, aut deplenda fuerunt  
Fata, vel admixtu diuersi sideris ullo,  
Vel quia non tulerint ita confatalia, mæque  
Conditione vetant fieri omni ex parte beatum,  
Mercurij leuis hora mei quum parte iuuetur  
Dexteriore Iouis, patiar Iouialia cuncta  
Consensisse minus, minus adfulsisse, tametsi  
Ut breuiter dicam, modo ne mihi vita pudori  
Sit mea, vel tristi Saturni exercear astro,  
Vel grauis Egoceros, vel agat me Scorpius atrox.  
Pauper ero felix. nam quem spoliaris honestis  
Artibus, Attalicy Lydas super addere gazas  
Ut queat, hunc Anyti reus infelicibus addit.

Ergo

Ergo malos quam vis qua vis dominantur in aula,  
Quam potes inuidia exonera. peioreque natum  
Te fato mēque esse, caue ratione magistra  
Credere persuasus, nec nos progressibus vllis  
Causarum, eternisue putes tam nequiter vnquam  
Nexibus vrgeri, vt nostram mutare velimus  
Paupertatem opibus horum. quos Iupiter ortu  
Si respexit, eat. decies respexerit inquam,  
Dum virtute vacent. sine qua, venerisque Iouisque  
Nil moror astra, animi non depellentia morbos.  
Que nostrum vsque adeo firmat sententia. pectus,  
Vt si per Samy deliramenta sophiste  
In formas alias, & queuis corpora possem  
Arbitrio migrare meo, tum iustius illud  
Optarem, potius fieri porcus ve, canis ve,  
Ignauus ve asinus, seu denique musca, culēx ue,  
Quam diues non more probo nec legibus equis,  
Sed de fraude potens. quem si solertia nequam  
Conspicuum vulgo faciat, tantūmque secundum  
A superis, tamen interius furiale flagellum  
Sentiāt, & tacite scelerum carpatur erynni.

Eboræ, nonis Maij.

M. D. XLII.

do, vrgeret vt ederem, quod in rem studiosorum  
esse existimaret, durum & inexpugnabilem me  
præstiti. Sero nunc non gesti tali viro moris me  
pœnitet. Nam si publicanda erat, quanto re-  
tractatiorem multisque locis resectam in publi-  
cum exire præstitisset? Tamen quando neque  
præteritum mutari, neque quod factum sit fieri  
infectum potest, det illa prior celeritatis suæ pœ-  
nas, posterior hæc, quam modo mitto, in eius  
subcedat locum, sine vlla iam extemporali gra-  
tia, cum aliqua etiam elaboratæ diligentia nota.  
Alterum, quæ tertia mihi scribendi causa fuit,  
ex tuis libris adcepi. Nam vbi de Pacensi vrbe  
agis, quam ego eam esse, quæ nunc in Lusitania  
Bexa nuncupatur, & pridem scriptis editis, &  
sermone semper adfirmauerim, quuius tamen  
flaminium, post inlatam à Pœnis ei vrbi cladem,  
Badiozam traslatum sit, manente priore Pacensis  
pontificatus titulo, narras tu ista quidem, sed Ioã-  
nis Genesij Sepuluedæ, quem honoris causa no-  
minatum velim, opinionem adducis etiam, qua  
ille meum de Pacensi colonia testimonium, apud  
te videtur fecisse dubium, ac cōtrouersum. Eam  
modo rem, in studiosorum rerum antiquarum,  
& Pacensis colonie gratiam, disceptandam sus-  
cepi. Ponam ergo ipsamet tua verba, ex Gene-  
sij, vt ais, admonitione. Alij episcopum Pacen-  
sem

sem ab ipso statim initio dictum adfirmant, à Pace Augusta, vrbe & colonia Romanorum, Anæ fluuio adposita. Nam Pax Augusta, Maurorum corruptione, in Baxaugús, deinde in Badaxós, degenerauit. Quæ vrbs quamquam ex parte Bæticæ adposita est Anæ fluuio, tamen quia Lusitaniæ iurisdictioni contributa erat à Romanis, idcirco ab eis inter Lusitanas censebatur. Quæ ratio eadem est Metallinensis colonix. Horum me admonuit Ioannes Genesius Sepulueda. Omnium primum Vafæe, illud nobis constituendum est, coloniam Pacensem urbem esse Lusitaniæ. Id perspicuum nobis faciet: vel iuriconsultus Paulus, ff. de censibus, L. In Lusitania Pacenses & Emeritenses iuris Italici sunt, vel Plinius lib. 4. cap. altero & vigesimo sicut vulgo circum fertur. Iulij autem cognominis, meminit Ptolemæus, in Lusitaniæ descriptione.

κατίχουσι δὲ τὰ μὲν περὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον, τουρδαταῖοι, ἐν οἷς, αἱ ἐν τῇ λουσιτανίᾳ πόλεις μισόγειοι, καὶ ἰουλιᾶ, ἰουλιᾶ, μυρτιλῆς, τὰ δὲ ἄλλοτρίω τούτων, κελτινοί.

Turdetanos qui circum Sacrum promontorium habitant, nostra ætas Punica voce Algarbios adpellat. Celtici, ij sunt, qui interius vltiorem Anæ fluminis ripam incolunt, ad urbem vsque Heluas, quæ ipso etiam

στον, αὐμνίστις βουρ αὐτῶν C 4 nomi-

nomine Gallicam præ se fert originem, ex Heluis  
Celtarum Narbonensis prouinciæ populis. Cel-  
ticos autem à Celtis derivari, vt à Gallis Galli-  
cos, & similia, notius & vulgatus est, quam vt  
admonendum videatur. Sita ergo est Pax Iulia  
in medijs Turdetanorum Celticorúmque confi-  
nijs, Iulix Myrtili, quam Mertulam vulgo dici-  
mus, vicina. Esse autem ea quæ modo Bexa di-  
catur, probari potest, tum à longitudine lati-  
tudineque à Ptolemæo descripta, tum quod ab  
ea Turdetantis ager incipit, tum etiam à Myrti-  
lis vicinitate, quæ, præterquam quod à Ptole-  
mæo ostensa est, ex Antonini præterea itinera-  
rio deprenditur. Sic enim ille. Ab Esuri, per  
compendium, Pacem Iuliam, M. P. plus mi-  
nus LXXVII. sic Myrtilin, M. P. XL. Pacem Iu-  
liam, M. P. XXXVI. Quæ huiusmodi optime con-  
uenit cum nostra nouem leucarum computatio-  
ne, qua leuæ vni, quatuor milia passuum ad-  
signamus. Esuris vero, vt id quoque non omit-  
tamus, oppidum est in Bætica ad Marianos per-  
tinentes montes, nequaquam æuo nostro ignobi-  
le, quod, deformato paulatim nomine, dici cœ-  
pit Exeriz, deinde Xeriz, Badiozæ urbi attribu-  
tum, à qua vix quindecim passuum milibus ab-  
est, vt hoc ipso, Badioza Pax esse Iulia non pos-  
sit. Confirmatur etiam quod adserimus, com-  
plu-

pluribus in ea vrbe monumentis Romanorum,  
ipsum Pacis Iulix nomen ostentantibus, vt in  
fragmento hoc quod est in muro, bessalibus in-  
scalpto literis.

RIAE. PONT.  
FLAM. PACIS IVLIAE

& in hoc quod est in gradibus summi templi.

PAX. IVL  
Q. PETRON

Ibi quoque cippus integer est, Aurelio Commo-  
do dicatus, in quo non solum Pacis Iulix nomen  
est, verum etiam colonix. Is ita habet.

L. AELIO. AVRELIO  
COMMODO  
IMP. CAES. AELI. HA  
DRIANI ANTONI  
NI. AVG. PII. P. P. FILIO  
COL. PAX. IVLIA

D D

Q. PETRONIO MATERNO  
G. IVLIO. IVLIANO

II VIR

D Facit

Facit ad eam quoque rem annalium libellus ille quem tibi aliquoties ostendi, sine dubio ante annos tercentum scriptus, in quo hæc ad verbum leguntur. Æra. M. CC. Pridie calend. Decembris, in nocte sancti Andreæ, ciuitas Paca, idest Begia, ab hominibus regis Portugalis domni Alfonso, videlicet Fernando Gonsalui, & quibusdam alijs plebæis militibus, noctu inuaditur, & viriliter capitur, & à Christianis possidetur. Iuuat non mediocriter nostram hanc rationem Rases Maurus, qui Marrochiorum tyranno imperatori vocato, tunc oppressa Punicis armis Hispania Cordubæ regnanti, de rebus & vrbibus Hispaniæ librum composuit. Quuius libri à me in scholijs in Vincentium nostrum mentio est facta. Is Rases quum de Bexa loquitur, terminus, inquit, Bexensis altera ex parte Emeritensi termino iungitur, altera Scallabitano. Terminus quem barbarus iste Rases dicit, non agri, territorij ve intelligendus est, sed iurisdictionis. Nam quum in treis iuridicos conuentus diuisa esset Lusitania, Emeritensem, Pacensem, & Scallabitanum, colligitur Bexæ conuentum fuisse Pacensem, & Bexam Pacensem urbem. Et quoniam Genesius argumentum etiam sumit ex deprauatione nominis Pacis Augustæ in Baxaugús & Badaxós, imitabor & ego illum, reddámq; rationem corrupti



rupti nominis. Neque deterrebor, si ea res parum inlustrem faciat orationem, modo ei de qua agitur non parum adferat lucis. Ingenito oris vitio Mauri nonnullas nostras literas nequaquam recte pronunciant, sed eas vel in mutuo inter se cognatas, vt Hispani quoque solent, vel in sibi familiareis commutāt. Est illis litera Xim, quam pingui admodum & vasto sono ita proferunt, vt stridorem feruentis sartaginis, præcipue vbi inter frigendum salsum quidpiam iniicias, referre videantur. Ea litera nostrum. S. fere reddunt. Heinc fluuius Singylis, abijt in Xinil, Sucro, in Xucar, Sætabis, in Xatibam, Mentefa, siue Mētissa, vt est apud Liuium, in Mentixam & Montixam. Illa quoque litera nostrum. c. sequentibus e, vel, i, solent efferre, vt pro, CE, CI, XE, XI, pronuncient, sicut etiam ex hac contagione vidi nostrorum nonnullos, qui lenem illam doctiorum Italorum prolationem perperam æmulati, pro Cicerone, Xixeronem dicerent, & pro, Feci, Fexi. Redeamus ad Pœnos. Literam. P. plerumque transferūt in cognatam illi. B. Et ne diutius in his moremur, de industria, quum hæc scriberem, Pœnum adolescentem iussi Lusitanam hæc orationem pronunciare. Señor, perdõe me vos-  
sa mercee. Hanc ille ita reddidit. Xenior berdo-  
neme voxamerxee. Et pro Pater noster, dicebat

D 2

Bader,

Bader noxter. Tandem quo casurum sit tantum  
ineptiarum aduerte. Pacensem urbem solebant  
antiqui, nunc addito cognomine, Pacem Iuliam  
dicere, nunc remoto, Pacem tantum, sicut Bra-  
caram Augustam, vel tantum Bracaram, Eme-  
ritam Augustam, vel tantum Emeritam. Mauri  
itaque, pro Pace, mutatis literis, Baxe dixerunt,  
inde vocalibus transpositis, Bexa. Iam dudum ar-  
bitror, ex insidiis auscultas, vt meum interci-  
pias sermonem, destruâsque hoc totum quod mo-  
litus sum, & dicas controuersiam de Pace Iulia  
non esse, quam Genesius Lusitaniæ urbem esse,  
non neget, sed de colonia Augusta Pacensi Anæ  
fluuio adposita, quæ licet ex Baticæ parte sita sit,  
adscripta tamen esset Lusitaniæ, quemadmodû  
& colonia Metallinésis. De Pace Augusta, statim.  
Fingamus tamen interim esse Badiozã. Sed quû,  
Strabone excepto, q Lusitaniæ Australe latus am-  
ne Tago determinat, reliqui omnes qui geogra-  
phica scripsere, vtramque prouinciã Anæ fluuio  
discerni tradiderint, neque urbem ex Cisananis  
aliquam, in Transananam prouinciã, aut con-  
tra in illam ex his contributam meminerint, vn-  
de id pbat Genesius? A Metallinési colonia, quæ  
in eadem Anæ ripa sita est, quæ ad Baticam spe-  
ctat, & tamen inter quinque, Lusitaniæ co-  
lonias

Ionias numeratur? Non ne? Coniectura igitur  
adauguratur, non autem valida quapiam ra-  
tione coarguit. Sed hanc ego coniecturam non  
tam leuissimam, quam vanissimam esse, iam o-  
stendero. Adij ante aliquot annos, celeberrimum  
illud religiosissimúmque tota Hispania Virgi-  
nis Dei matris ad Aquas Lupias delubrum.

Vnde votis quæ susceperam rite persolutis, quum  
redirem, vestigandæ antiquitatis causâ Metal-  
linense oppidum deueni. Sumptisque indidem  
qui commonstrarent, quum cernerem situm  
esse oppidum ex parte Bæticæ, magnopere ad-  
mirabar, hæsitabámque esset ne ea Metallinen-  
sis olim colonia. Inde conscensa arce, subiectum  
agrum circumspiciens, aduerti longo limite de-  
pressum locum in speciem ficci aluei, ad Au-  
strale ipsius oppidi latus. Super qua re rogati  
commonstratores, responderunt, vbi paulum  
excreuisset amnis, redundantia illac etiam me-  
are. E vestigio subiit animum illud Horatij no-  
stri, *Cursum mutauit iniquum frugibus amnis,*  
*Doctus iter melius.*

Idque quum apud me pro non ambiguo iam  
esset, non audebam tamen adseuerare, donec  
è re nata sententiam eam corroborauim. Ex co-  
dem enim latere, à medio arcis colle ad imam

D 3 planiciem

planiciem, brachium duplici muro, ac opere for-  
nicato, ductum olim, nunc ruderibus poëne ob-  
rutum, inueni, per quod ij qui in arce essent, tecti  
& inuisi aquarentur. Manifestum indicium illa  
parte fluxione perenni antiquitus iuisse fluuium,  
oppidúmq; ipsum re vera in prouincia fuisse Lu-  
sitania, quod nunc mutatione fluenti, Bæticiæ  
parua quædam est adcessio. Vidês ne iam non  
tantum labasse, verum corruisse etiam Genesij  
rationem, subruto firmamento quod tamquam  
validissimum ad adprobationem ille adsumpse-  
rat, Badiozam attributam Lusitaniæ, quemad-  
modum & Metallinensem coloniã? Pacem iam  
Augustam adgrediamur, & apud quem aucto-  
rem, quã ve in terra sita fuerit, consideremus. Pa-  
cis Augustæ nomen apud vnum Strabonem, &  
quidem corrupte, legitur. Quuius verba, vt vul-  
go in latinam linguam conuersa circúferuntur,  
adponam. Ita enim de Tartesso. Verum regio-  
nis felicitate, mansuetudine, simul & vrbanita-  
te, adcedit proxime ad Turdetanos & Gallos,  
propter vicinitatem cognationémque, vt testis  
est Polybius. Cæterum illis minor. Vt pluri-  
mum enim vicatim habitant, & viuunt. Nam  
Turdetani, præsertim qui circa Bætici loca tenêt,  
in Romanos penitus ritus transformati sunt, nec  
propriæ memoriã linguæ seruant amplius, plu-  
rimiq;

rimique Latini facti , secum adcolas adcepere  
 Romanos . Itaque parum abest , quin vniuersi  
 Romani sint . Et nunc habitatae vrbes , & in Gal-  
 lia Pezaugusta , & alia in Turdulis Augusta Eme-  
 rita , & in Celtiberis Cæsarea Augusta , & alia co-  
 lonia quædam , permutatos dictarum ciuitatum  
 ritus demonstrant . Heic iuuenus potius quam  
 reprendamus interpretes , qui tamquam aliud  
 agentes , ita Celticos qui Anam adcolunt , Gallos ,  
 & eorum regionem Galliam adpellant , quasi non  
 de Hispania , sed de Gallia ipsa Strabo ea scribens  
 loqueretur . Et quod maioris videtur esse negle-  
 gentiæ , Strabo ita scripsit . *ἢ τὸ ἡμερὸν , ἢ τὸ πολιτικόν , συνηκολούθησε*  
*τοῖς τερδλιτανοῖς , ἢ τοῖς κελτικοῖς .* id est , & mansuetudine ac ci-  
 uilitate correspondet Turditanis & Celticis . Itē .  
*ἢτε νῦν συνηκισμέναι πόλεις , ἢτε ἐν τοῖς κελτικοῖς πεζαυγούσαι ,* siue vt le-  
 gendū magis arbitror , *πεζαυγούσαι .* id est , Et nūc coa-  
 ctæ siue coadunatae ex pluribus ciuitates , id enim  
 significat græca dictio *συνηκισμέναι* . in Celticis quidē  
 Pax Augusta . Nec excusari poterit interpretes ,  
 quod supra legatur ita *ὁ δ' ἄνας πρὸς νότον ἐπιστρέφει πρὸς μισσοποτα-*  
*μίαν ἀφορίζων , ἐν κελτοῖς νέμωντες δὲ πλείον* Id est . Atqui Anas , se  
 se in Austrum conuertit , interamnam regionem  
 illam determinans , quam Galli maiori ex parte  
 possident . Nam sine dubio legendum esse *κελτικοῖς* ,  
 id est Celtici , non *κελτοῖς* , id est Galli , adparet ex iis  
 quæ de Artabris circa Nerium incolētibus , pau-

lo post scribit. *αἱ γὰρ κελτικὸὶ εἰσὶν οὗτοι καὶ κελτικοί, συγγενεῖς τῶν Ἰβητῶν ἀνα.* id est, circum habitant eam Celtici, consanguinei, aut si ad verbum vertendum est, congeneres eorum qui ad Anam sunt. Quum audis Celticos ad Nerium, eorum esse cōsanguineos qui ad Anam sunt, nōnne clarum est, & hos & illos Celticos vocari, non Gallos aut Celtas, tametsi & Celtici Gallica gens sit, & à Celtis profecta? Scio Gallos omnibus, id quod etiam Strabo libro quarto scriptum reliquit, siue propter Celtarum claritatem, siue propter Malsiliensium vsū, cœpisse à Græcis vocari Celtas, vel potius Celtos, qua forma multū vsus est Polybius, & nonnunquam Strabo, quamquam Celtæ tertia tantum sit Galliæ pars, Cæsari & reliquis Latinis scriptoribus, & ipsimet Straboni. Sed tamen conferendis ambobus quæ citati locis, potuisset interpres admoneri. Quod non carpendi, sed rei ostendendæ causa dictum sit. Vera igitur ac germana verborum Strabonis interpretatio erat, In Celticis quidem, Pax Augusta. Aiebat ergo Strabo Tartessios mansuetudine & ciuili viuendi ratione adcedere proxime ad Turdetanos, hoc est, ad veros Bæticos, & ad Celticos Anæ adcolas, quos supra ex Ptolemæo Lusitaniæ esse populos est ostensum, ad illos, propter vicinitatem, ad hos, propter cognitionē, quin & propter vicinitatem. Neque enim multum inter se distant,

distant, sed inter Celticos & Tartessios soli Tur-  
 detani Bætici interiecti medijsque sunt. Et qui-  
 dem vitæ humanioris causam ijs populis fuisse  
 Romanorum consuetudinem, à quibus & lin-  
 guam, & mores & ciuilem viuendi in vrbibus ra-  
 tionem ac modum adcepissent. Ob eam quoque  
 causam, sprete pristina vicorum habitatione, vr-  
 beis iam frequenteis coli, in Celticis quidem Pa-  
 cem Augustam, in Turdulis vero Emeritam Au-  
 gustam, & in Celtiberis Augustam Cæsaream.  
 Hos autem, quos diximus, Celticos etiam Stra-  
 boni esse, liquet ex ipsius verbis, quæ antea retu-  
 limus. Nam vbi continentem ad Sacrum pro-  
 montorium, inter Anam Taguinque describit,

*à δ' ἀνας, πρὸς νότον ἐπιστρέφει τὰ μεσοποταμίαν ἀφορῶν, ἢ κελτοὶ νῆμοντ  
 ἢ πλιόν, ἐ τῶν λουσιτανῶν τινες ἐκ τ' περιὰς τ' τάγου, μεταπισθέντις ὑπὸ Ῥωμαίων.*

idest, Atqui Anas sese in Austrum conuertit, in-  
 teramnam regionem illam determinans, quam  
 Celtæ, vel vt ego legendum puto, Celtici, mai-  
 ori ex parte possident, & Lusitanorum nonnulli,  
 ex vltiori Tagi regione in coloniam traducti à  
 Romanis. Audis heic Lusitanos deductos in co-  
 loniam à Romanis ad Celtas, siue potius ad Cel-  
 ticos, illeic audisti in ijsdem Celticis esse Pacem  
 Augustam. Obscurum ne etiam est coloniam  
 hanc pacem Augustam esse? Quod si colonia Pax  
 Augusta in Celticis est, Celtici vero Lusitaniæ

E populi,

populi, utique & pax Augusta Lusitaniæ ciuitas.  
 Ad hæc, Straboni Pax Augusta Lusitanorum co-  
 lonia, in Celticis est, Ptolemæo Pax Iulia Tur-  
 detanorum Lusitanorum vrbs in confinio Celti-  
 corum Lusitanorum ponitur, ex vetere inscri-  
 ptione Pax Iulia colonia esse ostenditur, Plinio  
 autem quinque tantum coloniæ in Lusitania nu-  
 merantur, Emeritensis, Metallinensis, Pacensis,  
 Norbensis, Scallabitana, Nonne id conficitur,  
 eandem esse Pacem Augustam & Pacem Iuliam?  
 Vel ostendat Genesius duas in Celticis colonias,  
 alteram Pacem Augustam, Pacem Iuliam alte-  
 ram. Neque vero quemquam moueat, quod  
 Ptolemæus & Plinius, etiam in ea Bæticiæ parte  
 quæ à Bæte ad Anam est, & proprie Bæturia ad-  
 pellatur, ponunt Celticos, ad Hispalensem con-  
 uentum pertinentes, quemadmodum & Tur-  
 dulos, qui iura Cordubam peterent. Nam aiente  
 Plinio Celticos hos aduenisse in Bæticam à Celti-  
 cis ex Lusitania, sic enim legendum, non à Cel-  
 tiberis, perspicuum est, Celticos Lusitanos &  
 vetustiores, & famæ fuisse maioris, parenteisque  
 non modo Celticorum Bæticorum, quorum  
 nulla est apud Strabonem mentio, neque alibi,  
 neque quum de Bæturia parte Bæticiæ, ab ipso  
 Bæte ad Anã tendente dixit, *τοιαύτη δὲ ἡ Βαιτουρία, ἐν ᾗ  
 ἔχουσι πολλὰ τὰ παρῆκοντα ἑσθ' ἀνα,* verū etiã eorū Celticorū,  
 qui



qui Neriū promōtoriū ad Artabros tenuēre. Strabo vero quū Turdetaniā Bæti fluuio mediā diuidi, Ana terminari ad Septentrionē & obcafum, deinde ab Ana ad Sacrū promontoriū Celticos & Lufitanorum plærosque habitare tradiderit, Pacem autem Auguftam in Celticis conlocet, dubium non eft, intellexiffe eum Celticos Lufitanos, non Bæticos, quorum ipfe non meminit. Præterea, quum Strabonis Pax Augufta adeo inluftris fuerit, vt vna cum Emerita Augufta, & Augufta Cæfarea in argumentum Hispanæ illo tempore manfuetudinis & vitæ politioris, propter Romanorum confuetudinem ab eo inducatur, fi hæc Pax Iulia noftra non eft, colonia & iuridicus conuentus, in Celticis pofta, vt Strabo ait, inter Celticos & Turdetanos Lufitanos, vt Ptolemæus, quam dicemus eſſe alteram? In Celticis Bæticiſ vnam quampiam, dicet Geneſius. Vt hoc ratione aliqua niti videatur, duo illi oftendenda neceſſario erunt. Alterum, Badiozam quam ipſe Pacem Auguſtam eſſe vult, in Celticis Bæticiſ eſſe ſitam. At hoc non euincet, quum potius in Turdulis Bæticiſ eſſe multo ſit probabilius. Nam Celciti Bætici qui Bæturix partem Luſitaniæ prætenſam ab Anæ hoſtio quinque tantum ciuitatibus Ptolemæo, aliquanto pluribus Plinio adcolebant,

non tam late patebant quam Celtici Lusitani. Turduli vero Bætici Lusitaniâ Tarraconensemque attingentes, erat gens amplissima, multarumque ciuitatum, quarum erat Corduba metropolis, quam in Turdulis esse Ptolemæus testatur, ut merito Plinius hosce Turdulos iura Cordubam petere dixerit. Eòque factum mihi videtur, ut Emerita ab his Turdulis solo amne Ana intercedente diuisa, in iisdem Turdulis esse Straboni dicta sit. Atqui Badioza quum non amplius quam triginta passuum milibus distet ab Emerita, quum magis Celticis, quam Turdulis, Hispalensi conuentui potius quam Cordubensi adscribatur, huic propinquior, ab illo remotior? Discriminet arbitrio suo harum duarum gentium terminos Genesius, & Badiozam, quam Pacem Augustam esse contendit, referat ad Celticos, petam iam alterum illud è duobus quæ ostendenda ab illo esse dicebam, nempe ut auctorem proferat, qui liquido Pacem Augustam in Celticis Bæturix conlocet, quorum uti superius est ostensum, Strabo non meminit. Nam Ptolemæo, Celticorum Bæticorum vrbes hæ tantum nominantur.

*Βαιτικῶν κελτικῶν, ἀροῦκι, ἀροῦνδα κούργια, ἀκινιτῶδ, ὀύαμα.*

Plinius quoque Celticorum Bæticorum recensens oppida, quos ex Celticis Lusitanis aduenisse manifestum ait, sacris, lingua, oppidorumque

Voca-

vocabulis, quæ tamen cognominibus in Bætica distinguerentur, nullam omnino Pacis Augustæ mentionem fecit. Oblitus vterque est, inquiet. Egregium vero geographum vtrumque, peruersèque diligentem, qui quum in ignobilibus oppidis recensendis operam prope dicam luserint, nobilissimam coloniam prætermisere. Atqui nõ ita est. Sed nobilis illa Strabonis Pax Augusta in Celticis posita, Pax Iulia Ptolemæi, ac Plinij est, in Celticis quidem iuxta Strabonem posita, inter Celticos vero ac Turdetanos Lusitanos iuxta Ptolemæum, quoniam tractum hunc ab Ana ad promontorium sacrum, quem totum à Celticis possideri & Lusitanorum plarisque ab vteriori Taggi regione eò traductis Strabo dixit, hic alter minutius exposuit, Celticis Strabonis bifariam in Celticos ac Turdetanos diuisis. Quod si interroges, si vna eadèmq; est, quur ergo ab Strabone cognominatur Augusta, quæ ab alijs Iulia? Interrogabo ego similiter, Gaditana vrbs, quur & Augusta, & Iulia Gaditana adpellaretur, confirmate id Plinio infine libri quarti. Cognominis enim vel huius vel illius rationem causam ve nisi diuinando, in tanta rerum antiquarum obscuritate, nos reddere non valemus. Sed si diuinationi locus vllus est, causa quur Pax Iulia vocaretur adsignari potest, quod Iulio res in Lusitania geren-

re, hæc Lusitaniæ regio inter Anam ac Tagum, quam interamnam ideo Strabo vocat, domita ac pacata auspicijs illius fuerit. In quuius signum quum ex Transtaganis Lusitanis eo traductis urbem constituerit, nam à Iulio se conditos Pacenses ipsi fatentur, & vetus fama obtinuit, cui Rasès etiam Maurus attestatur, boum capita ex marmore plærisque locis interspersit, quæ adhuc extant, Pacémque à se Iuliam adpellauit. Non tamen protinus nouæ vrbi coloniæ Romanæ ius, aut iuridici cõuentus dignitatem tribuit, quum nondum rerum omnino potiretur. Ad quam forte sub Augusto prouecta, Iulij cognomen in Augusti mutauit, quod tamen diu non retinuerit, quum prius in gratiam conditoris inualuisset. Verum hæc diuinantes. Nobis satis est, si maneat incolume illud quod conlatis inter se scriptoribus confeceramus, eandem esse Pacem Iuliam, & Pacem Augustam, Lusitaniæ urbem, & iuridici conuentus coloniam.

Reliqua est parua quædam perleuisque obiectio, quæ factum ergo sit, vt Badiozensis episcopus multos iam annos Pacensis sibi titulum induerit. Sed in hac propellenda longe admodum minus laborandum nobis est, cognita etiam vulgo, post funestam illam Hispanis rebus inlatam à Pœnis cladem, sacerdotiorum mutatione. Nam  
vrbes

urbes prius claræ, vt quæq; vel maiorem plagam  
adceperunt, vel ægrius reualuerunt, ita pristinum  
suum decus aut recuperarunt ferius, aut penitus  
amiserunt. In nonnullarum locum alibi suffectæ  
aliæ. Vbi nunc Emeritæ Augustæ Lusitaniæ to-  
tius metropolitana quondam <sup>επινοκη</sup>? Quam  
multos annos Bracara Augusta Callæciæ metro-  
polis, quum semel pessum isset, obtrita iacuit?  
Granata ignobile quondam oppidum Iliberita-  
næ Dioceseos, quum de interitu suæ metropo-  
lis, per Maurorum tempora, ad immensas cre-  
uisset opes, & molem hanc hodiernam, tandem  
à Vernando rege non vno tantum nomine maxi-  
mo, feliciter victa, & Christianis initiata sacris, in  
adcretionem, & si mihi per Ciceronianos liceat  
ita loqui, auctarium nobilitatis, pontificiam di-  
gnitatem adcepit, & quidem inlustriorem quam  
olim habuisset Iliberis. Mentefa, in parum fre-  
quentis pagi redacta est formam, & pontificatus  
honorem habet Geena, siue, vt ipsi malunt, Gye-  
na. Neque fortunatior fuit Ossonoba, spoliata  
sacerdotio, quod etiam Siluensibus nouæ mu-  
tationis rumore indies congelciat. Sed ha-  
rum trium, translatis alio dignitatibus, eti-  
am tituli interière. Sunt etiam quæ transla-  
to pontificali iure, apud nouum possessorem

solum nominis sui titulum retinuerint , quasi quum solebant venditores non nequam , in ijs quæ mancipio darent, ruti cæsis recipiendis sibi cauere , aut quemadmodum fecit Mænius , qui in venditis ædibus saltem columnam vnde spectaret , excepit . Ad istum modum , translata Compostellam episcopali sede , quæ Iriæ Flauix ante fuerat, nihilo tamen secius episcopus Iriensis eâtenus adpellatus est, quoad metropoli constituta, etiam is titulus obsoleuit, sicut à nobis explicatum est , quum de translatione corporis apostoli Iacobi ageremus . Sic etiam Igæditanorum ecclesia translata in urbem Gardiam , veterem adhuc adpellationem retinet . Longum est omnia ad hoc exemplum persequi . Hoc igitur pacto , Pax Iulia , quæ pontificem olim habuit, vt , tum ex subscriptionibus aliquot Hispanorum conciliorum videre est, tum maxime ex concilio duodecim prouinciæ Lusitanix episcoporum Emeritæ congregato , sub Recesuintho rege, æra. DCCIIII, quod in vetusto codice apud me habeo , quum & ipsa in Hispaniæ euerfione corruisset, amissum eius decus possidet quidem Badioza , sed Pacensis tamen conseruatus titulus , tum aduersæ Pacis Iulix fortunæ nos admonet , tum explicat veteris & prope exoletæ memoriæ recordationem.

Hæc